



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

rabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

Ex illâ Apostolicâ prædicatione id consequetur, ut omnis ex impio factus verè justus, lætetur deinceps in Domino, & speret in eo, deposito metu servili, & mundano: & tandem in fine mundi, qui in justiciâ perseveraverunt, & per hoc rectum cor habuerunt ad Deum, non sapientes, nec volentes, nisi quæ Deo placent, à Deo laudabuntur.

PSALMUS LXIV.

Titulus, & Argumentum: *In finem Psalmus David. Canticum Jeremia, & Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.*

Psalmus hic, qui revera Davidis est, fingitur cantari a Prophetis Jeremiâ, & Ezechiele, quia illi duo prædixerunt reversionem populi de Babylone in Jerusalem; & fingitur decantatus ab initio egressioni, ut intelligeremus, Psalmum exponi debere de reditu filiorum Israel à captivitate in patriam. Altiori sensu Psalmus prædicit conversionem infidelium ad Ecclesiam, & reditum spiritualium peregrinorum ad patriam Cælestem: nam & Ecclesia, & Cælestis patria per Jerusalem in sacris literis significari solet.

ψ. 1. Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Jerusalem.

E 2

Loqui-

Loquitur in personâ populi. Convenit omnino, ut populus tuus tibi Deo suo laudes canat in Sion, ubi nota est magnitudo tua, non in terrâ alienâ, ubi Dii fictitii laudantur. Convenit etiam, ut idem populus tibi solvat vota gratiarum actionis in Jerusalem, ubi nota sunt beneficia tua; & vota sacrificiorum, ubi est templum, & altare tuo nomini dicatum, non in Babylone, ubi tantum sunt templa, & altaria Idolorum, Dæmonum.

ψ. 2. *Exaudi Orationem meam: ad te omnis caro veniet.*

Exaudi orationem meam, quæ est, ut, te auxiliante, quàm citissimè canam tibi hymnum in Sion, & reddam votum in Jerusalem. Si me audieris, verbis, & exemplis laborabo, ut omnes homines veniant ad te laudandum, & vota tibi reddenda.

ψ. 3. *Verba iniquorum prevaluerunt super nos, & impietatibus nostris tu propitiaberis.*

Altera ratio petendi liberationem à captivitate, & reditum in patriam. Mala opera iniquorum parentum nostrorum gravaverunt nos iugo durissimæ captivitatis: tu verò misericors Deus propitius fias peccatis, quæ à parentibus hæreditavimus, & quæ, eorum exemplo, ipsi fecimus.

ψ. 4. *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.* Ter-

Tertia ratio à felicitate patriæ. Beatus est omnis ille, quem tu elegisti ab æterno, & assumpsisti in tempore, ut sit civis Sanctorum, & domesticus Dei: nam ille in domo tuâ manebit.

ψ. 5. *Replebimur in bonis domûs tuæ: sanctum est templum tuum mirabile in equitate.*

Bonâ spe fretus populus Dei, jam numerat se inter beatos: replebimur ex bonis domûs tuæ, ut nihil nobis desit, quod foris quærendum sit. Ibi hoc prorsus mirabile, & amabile, quòd nos in Deo habitabimus, tanquam in domo, & ipse habitabit in nobis, tanquam in templo.

ψ. 6. *Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terra, & in mari longè.*

Redit ad orationem: exaudi nos, dum à te petimus liberari à captivitate, & revocari in patriam: exaudiri autem petimus confidenter, quia tu sæpe ab hostibus nos liberasti; in te etiam sperant, quotquot terram, & insulas maris longissimè positas inhabitant.

ψ. 7. *Preparans montes in virtute tua, accinctus potentiâ, qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.*

Addit aliam rationem à potentiâ Dei liberandi, & revocandi populum: tu Deus, quasi armatus potentiâ, firmasti montes altissimos in virtute tuâ: tu terrendo, & cominando compescis sonitum turbati maris. Vid. Marc. 4. ψ. 39.

ψ. 8. *Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos, à signis tuis, exitus matutini, & vespere delectabis.*

Antea potentiam, jam sapientiam Dei ostendit signis cælestibus, quibus homines jam terret, ut sunt concussiones, tonitrua, fulmina &c. jam recreat, manè ortu solis, vespere luce stellarum. *Exitus &c.* h. e. exortum auroræ, & crepusculi vespertini delectabilem facies.

ψ. 9. *Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.*

Ad potentiam, & sapientiam addit laudem beneficentiæ. Visitasti terram sufficienti irrigatione aquarum, & sic eam valde locupletem, & copiis omnibus refertam reddidisti.

ψ. 10. *Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum: quoniam ita est preparatio ejus.*

Rivi aquarum à Deo effecti ad irrigandam terram, pleni sunt aquis ex Divinâ providentiâ, & benignitate: sic enim tu Deus præparasti cibum hominum, & animantium ceterorum: nam sic fundata, & disposita est terra, ut irrigatione aquæ fiat fœcunda, & fructifera.

ψ. 11. *Rivos ejus inebria, multiplica gemina ejus, in stillicidiis ejus latabitur germinans.*

Idem aliter dicit. *Perge Domine: rivos, hebraicè,*

braicè, *fulcos* terræ abundanter riga fluentibus aquis, & sic multiplica ejus herbas, fruges, plantas : pluviâ Dei desuper cadente, *letabitur* terra germinans.

ψ. 12. *Benedices* corone anni benignitatis tua, & *campi tui replebuntur ubertate.*

Benedicendo, benefacies totius anni revolutioni, quæ instar coronæ, variis floribus ornata à tuâ benignitate quasi semper renovatur. Et in hâc benedictione *campi tui*, à te conditi, & fœcundati replebuntur abundantiam omnium bonorum.

ψ. 13. *Pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur.*

Nec solùm *campi*, arando, serendoque culti, frugibus replebuntur, sed & *loca deserta*, quæ solis pascuis deserviunt, & speciosa præ ceteris sunt ex multitudine, & varietate herbarum, ac florum sponte nascentium, pinguescent cælesti rore, & *colles inculti* herbis ita vestientur, ut ex omni parte lætari videantur.

ψ. 14. *Induti sunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent*

In summâ fœcunditas erit maxima, & multiplicatio tum pecorum, tum frugum. Ovibus multiplicatis vestiti, seu circumdati sunt arietes, sive agui, qui pauci antea erant. Et *valles cultæ*

abundabunt frumento : omnia autem, sive colles, sive valles ; sive campi exculti , sive deserti, sive pecora, sive fruges suo modo clamabunt in laudem Dei ; imò etiam quodammodo hymnum cantabunt conditori, & benefactori suo.

PSALMUS LXV.

Titulus : *In finem, Canticum Psalmi Resurrectionis.*

Illud in titulo Resurrectionis, nec legunt Hebraei, nec, teste Theodoro, Septuaginta ; legunt tamen Hieron. & Aug. Interim videtur hæc unica vox, à quocunque addita sit, prudenter addita, ut indicet argumentum Psalmi.

Argumentum est gratiarum actio pro beneficiis Dei, sed potissimum pro perfectâ felicitate post omnes finitas calamitates : quod sine dubio in resurrectione erit.

✠. 1. *Jubilate Deo omnis terra: psalmum dicite nomini ejus : date gloriam laudi ejus.*

Invitat omnem terram, h. e. omnes electos ex eâ, ac tria requirit : jubillum, quod in affectu est, non ita in verbis : *Jubilate Deo* : Deo enim, qui Spiritus est, spirituale desiderium maxime convenit. Dein sonum psalterii hic deberetur nomini, seu famæ, seu gloriæ Dei. Demum vocem humanam, *date gloriam &c.* h. e. hæc sit gloria vestra Deum semper laudare, & in ejus laudibus gloriari.

✠. 1.